


The background of the image is a marbled paper with a complex, organic pattern. It features swirling veins of dark brown, light beige, and bright yellow, interspersed with small patches of green. The overall effect is reminiscent of stone or water patterns.

20



DISPUTATIO PHILOSOPHICA
DE
SUBSTANTIA.
PARS SECUNDA.

QVAM,

Divina Favente Gratia,

SVB PRÆSIDIO,

Clarissimi, Doctissimique Viri,

D. JOHANNIS DE RAEI, L. A. M.

Med. Doct. & Philosophiæ Professoris

Celeberrimi,

Publice proponit ventilandam

HENRICUS vanden VELDEN, Gorinch. Bat.

○ *Ad diem 2. Aprilis, loco horisque solitis, post merid.*



LUGDUNI BATAVORVM,
Ex Officina ABRAHAMI à GEEREVLIET, 1659.

*17835

Virtute ac Pietate Insigni

V I R O

D. JOANNI vander ELBURGH , Mer-
catori apud Gorinchemenses Prudentissimo , Parenti
meo Honorando ;

*Gravissimo , Consultissimo , & in rebus agendis
Prudentissimo V I R O ,*

D. ARNOLDO vander COLLICK ,
quondam inter D.D. Ordines HOLLANDIAE & WEST-
FRISIAE Deputato Reipublicæ Gorinchemensium
Consuli Primario , Ecclesiæque Seniori Dignissimo ,
Proavunculo meo Dilectissimo mihi æternum co-
lendo ,

Amplissimo , Spectatissimo , Consultissimoque V I R O

D. FRANCISCO VERBOOM , J. C.
& Reipublicæ Rotterdamensis Prætori Dignissimo ,
Cognato meo omnis honoris genere mihi venerando ,

Doctissimo , Prudentissimoque V I R O

D. JOANNI WOLPHARDO à BULDEREN
Scholæ Gorinchemensis Rectori vigilantissimo , soler-
tissimo quondam Præceptor meo honorando .

Hacce primicias Philosophicas

Sacras facio

HENRICUS vanden VELDEN , Reff.



DISPUTATIO PHILOSOPHICA
DE
SUBSTANTIA.

P A R S S E C U N D A.

T H E S I S I.



Este quidem Substantia in genere definitur *Ens per se subsistens*, quatenus iis verbis ea ipsi tribuitur ad subsistendum sufficientia, ut nec subiecto in quo nec causa per quam sit, opus habeat. Sed per hoc solum substantia neq; in rerum natura existere, neq; cognosci à nobis potest. Quod enim existit, id certe aliquid esse debet: & nihil quidem nullæ sunt affectiones ei vero quod non amplius nihil sed revera aliquid est, uti ante omnia substantia est, necessario attributa aliqua seu affectiones quibus à nihilo discernatur, insunt. Si enim fieri possit, ut vere subsistens substantia juxta cum nihilo nullas affectiones habeat, quid ipsam discernet à nihilo? & cum ex hoc solo quod affectionem, qualitatem, proprietatem vel attributum aliquod advertimus, substantiam, *qua iis substat* dari debere recte concludamus, atque ex adverso nihili proprium sit nullam habere affectionem, rationi consentaneum est, ut nullam omnino substantiam, aliter vel esse vel cognosci posse putemus. Quod summa substantiarum genera percurrenti manifestum evadet.

I I.

Imprimis ipse Deus, cui notionem substantiae primario competere ostendimus, non nuda atque omnis attributi expers substantia est, sed revera in eo est omnis proprietas ac omne attributum, quod imperfectionem non adfert independenti ac perfectissimæ essentiæ. Sic Deus recte dicitur intelligere, velle, vivere. Et ex eo quod intellectu comprehendit omnia, & voluntate se ipsum tanquam optimum & maximum amat, cæteraque proinde propter se & ad sui gloriam decernit, ordinat, gubernat ac potenter efficit, omniscius, sapiens, bonus, verax,

justus, misericors atque omnipotens est. Et quatenus denique nihil horum ab alio accipit, verum cuncta ex intrinseca naturæ propriæ perfectione habet necessario, etiam independens, æternus, immutabilis, summe simplex, & purus actus, dicitur idem Deus. Omniaque ista attributa ita necessario cohærent inter se, atque tam intime pervadunt Dei essentiam, ut nec cogitatione ab ea divelli, nec quicquam sine iis intelligi de Deo possit.

I I I.

Sed ut sæpe alibi ita hoc loco quam maxime usus loquendi nobis imponit, quando ea quæ ad divinitatem pertinent hoc pacto adjectivis seu concretis nominibus exponimus; cum ad evitandum conceptum compositionis, variationis ac dependentiæ, præstaret uti abstractis. Quod advertens Jul. Cæs. Schaliger exercit. 365. sect. 6. sic satis subtiliter more suo expressit: *Quare neque ens est (loquitur de Deo) sed essentia: neque bonus sed bonitas: neque sapiens sed sapientia: neque omnipotens sed omnipotentia. Quæ ita in ipso sunt ut sint ipsum: ita insunt, ut nihil antecedat, nihil subsequatur.* Et ad cavendam distinctionem attributorum à divina substantia, quæ ipsa omnis attributio expers attributis à se diversis substet, recte notare solent philosophi *per se subsistere* convenire omni substantiæ, Deum vero dici non posse *subsistere accidentibus*, sed creaturas tantum. Ubi manifestum est nomine accidentium intelligi ea quæ substantiæ superveniunt, adeoque variationem & compositionem in ipsa faciunt & de Deo negatur, quod talibus accidentibus substet, non quia nuda & omnis attributi expers est illius substantia, verum ex adverso quia sic re ipsa unum & idem est, cum omnibus attributis suis, ut ab iis distingui, vel seorsim concipi nulla ratione possit.

I V.

Quantum ad corporeas substantias, ex quidem ita simplices non sunt, ut quicquid ad eas pertinet sic re ipsa unum & idem sit, sed varia ex partibus in ipsis reperitur compositio, arque etiam diversis accidentibus, formis & qualitatibus substantia, ex quibus non varietatem tantum ac differentias, sed existentiam quoque ac substantiam corporum naturalium à nobis cognosci in confessio est. Hæc accidentia autem una cum corporum particularium formis & qualitatibus abesse quidem possunt à communi corporum substantia, quæ materia dicitur; sed concludi inde non debet

bet parem esse rationem affectionum ac attributorum omnium. Postquam enim separatum est à corpore quicquid re ipsa abesse vel ratione præscindi ab illius substantia potest, clare intelligimus, materiam remanere, quæ omnium eorum, quæ sic separari à corpore possunt, incorruptibile subiectum est. Et ut tale subiectum esse possit materia, in longum latum ac profundum extensa ideoque impenetrabilis, divisibilis ac mobilis esse debet. Et hæc impenetrabilitas, divisibilitas ac mobilitas non constituunt quidem substantialem materiæ entitatem, sed eam comitantur tantum. Ut materia seu corpus ratione suæ substantiæ concipi idcirco possit, non cogitando de ipsis proprietatibus, et si hæc proprietates nec negari possint de materia nec re ipsa ab illa abesse. Extensio autem, propter quam istæ proprietates naturam corporis comitantur necessario, non tantum nullo tali modo abesse vel removeri, sed ne cogitatione quidem præscindi potest à pura corporum substantia.

V.

Etenim si incorporea, hoc est spiritualis non est nuda & pura materiæ substantia, uti esse nequit, qualis igitur est, quid ejus essentiam constituit ac distinguit à substantiis aliis, si re vera in longum latum ac profundum extensem non est? Deinde cum omne corpus revera extensem sit, unde quæso hæc extensio, si ipsa corporis substantia eam ex se non habet? certe extensio vel intrinsece ad materiale corporis substantiam pertinet ejusque essentiam ingreditur, vel illi accedit & tanquam subiecto per se subsistenti inhæret. Sed qua ratione substaniæ inextensæ accedit extensio, quo pacto hæc ab illa recipietur? An tota substantia communicabitur & subjicietur singulis extensionis partibus, & sic tota in corporis centro, tota in ambitu, tota in singulis locis intermediis, adeoque non amplius una in corpore uno, sed revera multiplex erit? quod contradictionem involvit apertissimum. An potius alienæ & adscititiæ extensionis per substantiam, quæ ex se seū formaliter inextensa fingitur, distributio quædam fieri, ut ubique parti extensionis pars tantum subiectæ substaniæ & tota toti respondeat?

V I.

Posteriori sano sensu dici quidem potest, si modo substantiam corporis ab ejusdem extensione non segregatam, verum intime

unam alteri implicitam consideremus : hoc pacto enim neutra ab altera ulla ratione destitui vel excludi potest , sed ubique se in vicem sic comitantur , ut substantiae & extensionis tantum sit in tali corpore , quandoquidem non duæ res diversæ sed una tantum sunt . At si nudam & puram ab extensione substantiam seorsim sumere , extensionem vero tanquam diversum quid superaddere labores , nunquam efficies , ut tota extensio cum tota substantia , & partes cum partibus congruant ; verum vel tota inextensa substantia in puncto , & tota accedentis extensionis moles seorsim ab omni substantia subsister , vel per appertam contradictionem & contra suppositum , sua puræ illi substantiae reddetur essentialis extensio , & sic altera illa , quæ à substantia distinguitur opus non erit .

V I I.

Sit enim extensio quatuor pedum cubicorum substantiae materiali nudæ quæ ex se inextensa fингitur addenda . Certe hoc ipso quod inextensa supponitur talis substantia , etiam indivisibilis esse , partibusque extra se positis carere debet . Vnde igitur singuli supervenientis extensionis pedes , unde pedum illorum partes accipient tantum præcise substantię quantum in corpore quatuor pedum subjectum iis esse debet ? fieri ne potest ut ex eo quod partes & extensionem per se non habet , partes exscindantur & inextensa atque impartibilis substantia veræ extensioni subjiciatur secundum partes ? Deinde si partes non habet nuda & pura hujusmodi substantia , ideoque alienæ extensionis partibus congruere non potest , qua ratione integrum & cohærentem quatuor pedum extensio nem , quæ ex omnibus illis partibus , in quas re ipsa divisibilis est revera constat , recipiet ? fierine potest ut id quod extensum nullo modo est per quatuor continuos trinæ dimensionis pedes , quos in recipienda extensione invenimus , protendatur , atque ad oppositos tantæ magnitudinis terminos usque pertingat & interceptæ extensioni tanquam per se subsistens subjectum subsister ? cumque secundum talia figura corporis magni nuda ac pura substantia ex se non magis extensionem habeat , quam corporis valde exigui , quæcumque tandem substantia assumatur , nullius unquam , quantumvis exiguae , extensionis verum subjectum esse potest : vel si ulla ratione fieri possit , ut substantia

stantia ex se inextensa alienæ extensionis subjectum fiat , sub-
stantia corporum maximorum , puta orbis terrarum , quamvis
exiguam , & minimorum ex. gr. pulicis , quamvis maximam abs-
que ulla sui augmentatione vel dimunitione induere vel exuere
poterit extensionem : ea fere ratione , qua nihil referre intelli-
gimus , magnumne an parvum sit corpus , quod vel ab angelo
assumitur , vel menti humanæ ad constitendum hominem unitur.

V I I . I.

Hinc autem aperte sequuntur duo absurdia ; Primum quidem ,
quod natura substantiæ corporeæ hoc pacto confundatur cum
incorporea seu spirituali , quæ sola sic assumere potest alienam
extensionem , ut ipsamet interim in se extensa non evadat ; alte-
rum vero quod qualitatem & extensionem hac ratione multi-
plicari necesse sit in corporibus. Finge enim puram , quæ in
corpo quatuor pedum est , substantiam ante alienæ exten-
sionis adventum inextensam esse , certe ut alienam extensionem
subeat , atque secundum trinam dimensionem ab una extremi-
tate ad aliam diffusa per se subsistat , & secundum partes sub-
stet extensioni adventitiæ (uti facere debet omnis substantia
quæ spiritualis non est) non amplius in se inextensa manere , ve-
rum secundum propriam ac nudam suam entitatem per se extensa
evadere deber . Atque ita duplex statim dabitur extensio , una
extrinseca , quam à pura substantia divellunt , altera intrinseca
& essentialis , sine qua prior in nuda substantia recipi non posset .
Et si hanc intrinsecam extensionem iterum distinguere velis à sua
substantia , huic iterum alia extensione opus erit , ut alteri sub-
stare ac subjici possit . Cumque talis extensionem multiplicatio
non modo non in infinitum , sed ne semel quidem in sub-
stantia corporea possibilis vel necessaria sit , primaque &
essentialis illa extensio , quam etiam in purissimæ substantiæ
materialis conceptu & essentia involvi deprehendimus sola
sufficiat : patet nullam nudam & diversam ab illa extensione
substantiam vel intellectu concipi , vel re ipsa in rerum na-
tura existere posse , verum rem unam & eandem esse in
corpore , quod nomine substantiæ & extensionis venit .

C O -

C O R O L L A R I A.

I.

An bruta sentiant, imaginentur, appetant, aliave animæ munia exerceant? Exercitii gratia, in utramque partem disquirendum permittimus.

I I.

Proprium est inseparabile à subjecto.

I I I.

Nil fit, nil interit recte ab antiquis dictum est de substantia.

I V.

Accidentia realia & formæ substanciales nec dantur nec dari possunt.

V.

Lunam habere montes & valles notum & certum est: quod etiam maria in ea sint tanquam probabile defendemus.

V I.

Terra è planetarum numero est, ac proinde movetur: sol autem eo in loco stat, ubi terra per errorem visus vulgo collocatur.

F I N I S.

